

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.  
Continuatio nona. — Scripsit W. Nylander.

1. *Lecanora leucospirea* Nyl.

Thallus albus opacus, e squamulis subcrenatis tenuibus adnatis dispersis (latit. circiter 0,5 millim.) constans, saepe granuliformibus; apothecia fusca subopaca plana (latit. 0,5—0,9 millim.), margine thalino albo integro cincta; sporae 8nae incolores oblongae vel ovoideo-oblongae 1-septatae, longit. 0,011—13 millim., crassit. circiter 0,0035 millim., paraphyses gracilescentes clava (haud crassa) luteo-infusata (epithecium luteofusco-inspersum), hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens; deinde violaceae tincta.

Supra terram sabulosam in insula Caesarea (Jersey), legit Ch. L'Arbalestier.

Affinis *L. holophaeae* (Mnt.) et varietati ejus *glaucosporae* Nyl. in Flora 1868, p. 164 (ubi errore typographico legitur „leucospora“); convenit arthrosterigmatibus, spermatis et plurimis notis analyticis, sed differt thallo albo disperso et minus evoluto; forsitan modo tamquam subspecies consideranda sit. Habemus hic adhuc exemplum typi (*L. holophaeae*), qui in certa habitatione facile in typis secundarios dissimiles abit.

2. *Lecidea frigidella* Nyl.

Apothecia fusca (humida rufescentia) parvula (latit. 0,3—0,5 millim.) convexa rugulosa immarginata; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,011—12 millim., paraphyses haud discretae (sed solum tubulis indicatae in thalamio continuo), hypothecium electrino-fulvescens (epithecium parum ita tinctum). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae vinose rubescentes (thalamio tum incolori-lutescente).

Supra thallum vetustum destructum in jugo alpino Lapponiae norvegiae pone Kilpisjaervi (J. P. Norrlin, 1867).

Species prope *L. Tornoensem* disponenda, notis allatis facile dignota. Parasitula videtur sine thallo proprio. Thecae turgidae pyriformes.

3. *Lecidea lithophiliza* Nyl.

Thallus cinerascens firmus inaequali-deplanatus areolato-diffractus vel areolato-rimosus, sat tenuis (crassit. circiter 0,3

millim.); apothecia fusconigra innata (latit. 0,5—0,8 millim.) planiuscula vel convexiuscula, immarginata, intus alba (linea tenui nigra infra limitata); sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,009—0,017 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses mediocres apice lurido-fuscescentes, hypothecium strato medio cretaceo-albo opaco (non hyalino), strato infero conceptaculari tenui nigro. Jodo gelatina hymenea bene coeruleescens.

In Scotia prope Abredoniam supra saxa micaceo-schistosa maritima (Crombie).

Notis datis facile distincta a *L. lithophila* et satius inter *Biatoras* locum tenens prope *L. phaeopem*. Spermogonia non vidi. Thallus rhagadiosus hydrate kalico nonnihil flavescens.

#### 4. *Lecidea insequens* Nyl.

Thallus vix ullus vel macula albida obsoleta indeterminata indicatus; apothecia fusca vel fusconigra vel nigra (latit. 0,5—0,7 millim.) convexa immarginata, intus albida; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices parvulae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses non discretae apice inersato fuscescente vel infuscato (inde epithecium fuscum vel fuscescens), hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coeruleescens, dein lutescens.

Ad lignum pini putrescens prope Helsingfors (ipse) et dein in Lapponia, Muonio (Norrlin).

A *L. tenebricosa* mox differt sporis minoribus, praeter alias notas. *L. hypoptoides* etiam arete accedit, sed distinguitur sporis longioribus, apotheciis planiusculis, reactione iodica magis coeruleescente gelatinae hymenialis.

#### 5. *Lecidea subviridescens* Nyl.

Thallus virescens vel sordide virescens tenuissimus opacus vel obsoletus; apothecia fusca opaca vel fusco-livescentia convexa (latit. 0,3—0,6 millim.), immarginata, intus sordide tincta; sporae 8nae incolores oblongae simplices aut 1—3-septatae, longit. 0,011—18 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non distinctae, epithecium et hypothecium sordida. Jodo gelatina hymenialis coeruleescens, dein vinose rubens.

Supra terram in insula Caesarea (Larbalestier).

Accedit ad stirpem *L. vernali-sphaeroidis*, sed facie est fere *L. viridescens*.

6. *Lecidea infidula* Nyl.

Thallus albidus tenuis vel tenuissimus opacus, interdum subleprosus, passim rimulosus; apothecia livido-nigricantia minuta (latit. 0,5 millim. vel minora) convexula immarginata, intus cinerascens; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses non discretae, epithecium vage et hypothecium dilute sordida. Jodo gelatina hymenialis vinose rubens.

Ad saxa in insula Caesarea (Larbalestier).

Facie est *L. turgidulae*, sed notis datis et praesertim re-  
actione iodica differt. Spermogonia extus nigra verrucariiformia; spermata recta, longit. 0,006 millim., crassit. 0,001 millim.

7. *Lecidea mesoidea* Nyl.

Thallus cinerascens sat tenuis subopacus inaequalis subareolato-rimosus; apothecia nigra mediocria (latit. fere 1 millim. vel minora), juniora marginata, demum convexiuscula margine evanescente, intus concoloria; sporae 8nae incolores oblongae 3-septatae, longit. 0,014—17 millim., crassit. circiter 0,006 millim., paraphyses mediocres clava nigricante, hypothecium nigrum strato medio luteo-rubricoso (vel cerasino-rufescente). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violacee tincta.

Supra lapides micaceo-schistosos in insula Sargia (Sark) legit Larbalestier.

Accedit ad *L. acclinem*, sed hypothecio differt; etiam thallo et hypothecii strato supero distincto nigro differt a *L. squamulosa* Deak.

9. *Lecidea endogonia* Nyl.

Accedens ad *L. mollem*, sed thallo depauperato-fuscescente, apotheciis paraphysibus minus discretis, epithecio tenuius fuscescente, gonidiis in hypothecio inclusis. Sporae ellipsoideae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,005—7 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (etiam et praesertim thecae ita tinctae).

In Lollandia legit Rostrop ad saxa.

9. *Lecidea sarcogyniza* Nyl.

Thallus obscure cinereo-virescens vel subolivaceus opacus tenuis indeterminatus; apothecia nigra plana (latit. circiter 1 millim.) marginata, margine saepe flexuoso, intus obscura; sporae 8nae incolores oblongae, longit. 0,007—0,011 millim., crassit.

circiter 0,003 millim., thalamium incolor, paraphyses mediocres apice nigricanti-clavatae (inde epithecium crassiuscule nigrum), hypothecium subhymeniale distincte fuscescens, stratum ejus medium subincolor, perithecium (cum strato infero conceptaculi) nigricans vel nigrum. Jodo gelatina hymenialis intense coerulescens.

In Scotia prope Abredoniam ad saxa quartzosa maritima (Crombie), rimulas saxi potissime sequens.

Accedit ad *L. sarcogynoidem* Krb., sed differt jam thalamio incolore, praeter notas alias allatus.

#### 10. *Lecidea commaculans* Nyl.

Thallus fusconiger vel nigricans tenuis opacus subareolatus depressus, saepius dispersus, indeterminatus; apothecia atra (latit. fere 1 millim. vel nonnihil minora) convexula, margine vix ullo, intus concoloria; sporae 8nae incolores oblongae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses non discretatae, epithecium nigricans, hypothecium crassiusculum rubricose fuscum (colore hoc superne vage in thalamium transeunte). Jodo gelatina hymenea coerulescens.

In Scotia, ad saxa calcarea montium Braemar (Crombie).

Accedere videtur ad *L. Kajanitam*, cui vero sporae aliae nec thalamium rubricose tinctum, magis affinis sit *L. dispansae*, sed variae notae divergunt. Hypothecium in thalamium omnino sensim transit absque limite distinguendo. Spermatia cylindrica recta, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,001 millim.

#### 11. *Lecidea aphanoides* Nyl.

Thallus obscure olivaceo-cinerascens tenuis subverrucose vel subgranulose inaequalis, indeterminatus vel subevanescent; apothecia nigra parvula (latit. 0,3 millim. vel minora) convexula immarginata nuda, intus albida; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,013 millim., crassit. 0,0045—0,0055 millim., paraphyses non discretatae, thalamium (cum epithecio) coerulescens, hypothecium incolor (vel nonnihil infra vage rubricose rufescens). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violacee rubescens.

Supra saxa calcarea in Scotia, Braemar (Crombie<sup>1</sup>).

1) Ibidem etiam lecta est ab eodem *Rimularia timborina*.

Species accedens ad *L. aphanam* Nyl. in Flora 1867, p. 327, sed thalamio aliter tincto, sporis paullo tenuioribus, etc.

### 12. *Lecidea attingens* Nyl.

Thallus albidus inaequalis tenuissimus vel evanescens, indeterminatus; apothecia fusca vel fusconigricantia (latit. circiter 0,5 millim.), plana marginata (marginē saepe pallescente), demum convexa, intus pallido-incoloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae vel oblongo-ellipsoideae simplices, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses (tenues) non discretæ, epithecium fuscescens, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose rubescens.

Ad lignum juniperi in Lapponia, Pietsavaara (Norrlin).

Arcte affinis est *L. hypoptoidi* Nyl. in Flora 1867, p. 37, et differens praesertim reactione iodica hymenii alia sporisque nonnihil crassioribus. Hae frequenter (atypice) electrino-coloratae conspiciuntur in *L. attingente*.

### 13. *Lecidea paraphana* Nyl.

Thallus obscurus tenuissimus dispersus vel vix visibilis (an proprius ullus?); apothecia nigra (latit. fere 0,5 millim.) convexa immarginata, intus subconcoloria; sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0030—0,0035 millim., thalamium coerulescens, paraphyses haud discretæ, epithecium vage coerulescenti-nigrescens, hypothecium violaceo-nigricans (saepe medio dilutiore). Jodo gelatina hymenialis vinose rubens.

Ad saxa micæceo-schistosa in Lapponia, Karesuanto (Norrlin), socia *Sirosiphonis saxicolae*.

Quasi intermedia inter *L. sylvicolam* et *L. conferendam* (vid. Nyl. Lich. Lapp. or. p. 160, 161), magis tamen ad hanc accedens, sed jam hypothecio distincta.

### 14. *Opegrapha Cesarensis* Nyl.

Thallus albus tenuis rimulosus indeterminatus; apothecia nigra cylindraceo-prominula (latit. 9,20—0,25 millim.) simplicia subflexuosa (longit. circiter 1 millim.), epithecio rimiformi-constrictio; sporae 8nae incolores oblongae 5-septatae, longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,004—5 millim., hypothecium atrum. Jodo gelatina hymenialis vinose rubescenti-fulvescens.

Supra saxa quartzosa in insula Caesarea (Larbalestier).

Differt jam sporis quinque-septatis a comparanda *O. atra* f. *Chevalieri*. Differt etiam ab *O. vulgatae* formis saxicolis mox sporis crassioribus. Spermata recta, longit. 0,006—7 millim., crassitiem haud 0,001 millim. adtingentia.

15. *Verrucaria scotodes* Nyl.

Thallus fusco-umbrinus sat tenuis, passim rimulosus; apothecia (innata in tuberculis mastoideis, latit. basi circiter 0,3 millim., vel obtuse parum prominulis) peritheciis subincolore (supra solum fusco-vel fusciscente); sporae 8nae ellipsoideae vel oblongo-ellipsoideae 3-septatae, longit. 0,024—30 millim., crassit. 0,011—13 millim., paraphyses nullae. Jodo gelatina hymenialis vinose rubens.

Ad saxa maritima prope Lyngensfjord in Lapponia (Norrlin).  
Facie *V. umbrinae*, sed sporis omnino differens affinisque *V. pyrenophorae*.

*Lecanora picea* (Dicks.), thallo et apotheciis piceo-nigricantibus, ut subspecies differre videtur a *L. badia*. Sporae oblongae, longit. 0,009—0,011 millim. Optimam in Scotia legit Crombie.

*Lecanora varia* var. *subintricata* Nyl. Datur in Fellm. Lich. Lapp. or. n. 133. Est facie quasi inter var. *saepincolam* et var. *intricatam* media, sed differt bene sporis minutis (longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,0030—0,0035 millim., paraphysibus tenellis). Saepe ecrustacea apotheciis biatorinis versicoloribus e pallido-lutescentibus olivaceis vel olivaceo-nigris, demum convexis totis concoloribus (junioribus planis, margine lutescente). In Lapponia praesertim obvia ad ligna et cortices.

*Pertusaria carneopallida* (Nyl.). Libenter assentio reverendo Anzi, hunc Lichenem (quem antea perperam duxeram ad Lecideas) esse Pertusariam, postquam videre licuit specimina optime evoluta apotheciis pulvinato-convexis lecta in Lapponia ad corticem populi a Norrlin.

*Lecidea disciformis* var. *meiosperma* Nyl. Subsimilis typo, apotheciis vero (saepe caesiopruinosi) sporis minoribus (longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,005—7 millim.). Ad saxa in insula Caesarea (Larbalestier).

**Corrigendum.**

p. 346, lin. 34: caesia lege caesiaalba.

integra gauderent valetudine <sup>1)</sup>. Locum sic suum dignum occupat algolichenomachia inter historias ridiculas, quae hodie haud paucae circa Lichenes, majore imaginatione quam scientia, enarrantur.

In genere *Sphaerophoro* hucusque nulla innotuerant cephalodia; sed in specie hujus generis neo-zelandica talia eximia constanter inveni. Dicatur ea nova species:

*Sphaerophoron stereocauloides*. Thallus ei pallidus vel albidus dendroideo-ramosus teres (altit. 10—12 centimetrorum) et trunco primario basi crassit. circiter 2 millim.), cortice sat conferte transversim supra diffracto, ramis et ramulis fibrillis tetretibus (crassit. circiter 0,2 millim.) divisus vel ramosis conferte minutis; apothecia in receptaculis subglobosis (latit. 2—3 millim.) inclusa; spora globosae vel subglobosae, diam. 0,008—0,011 millim.

Est species maxime insignis generis, accedens ad *Sphaerophoron coralloides*, sed thallo tenuius fibrillifero eleganter dendroideo et cephalodiophoro. Cephalodia pallido-caesia lobulata numerosa ramis adnata; gonimia continent scytonemoidea. Medulla thalli iodo coerulescens. Legit Dr. Knight.

Sic cephalodia hujus Lichenis eximii et forma et textura typos certos generis *Stereocauli* in memoriam revocant.

---

**Corrigendum** in Flora 1868.

p. 473. lin. 15: glaucospora lege glaucopsorae.

„ „ 17: leucospora lege glaucopsora.

---

**Lichenes Kurziani Bengalienses.**

Collectio altera. Scripsit W. Nylander.

Antea in Flora 1867, N. 1. Lichenes exposui e Calcutta missos a Domino S. Kurz.

Nuper collectionem aliam, annis 1866—1867 in Bengalia factam ab eodem collectore, examini meo subjecit cl. von Krem-

---

1) Quis ex. gr. *Peltideam aphthosam* vidit sine cephalodiis? — Adjunctus Fries ubique scribit „*aphtoa*“, quod errorem sistit orthographicum corrigendum.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1868

Band/Volume: [51](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 473-478](#)